

140.

1211.

NILS PETERSSONS gäfv- och skötesbref på halfva sin egendom till Wä kloster, hvilken han dock straxt utbytte mot gården Barhem.

K. e. 1: 287.

Anno incarnationis dominice M. CC. XI. Ego NICOLAUS filius PETRI ob salutem anime mee sanus & incolumis in presentia domini A. Archiepiscopi & domini *Ingemari* prefecti ac multorum nobilium virorum fratribus in *We* dimidiam partem portionis mee confirmaui scotando super altare sancte *Marie* astante Archidiacono. A. & decano. T. multisque aliis tam clericis quam laicis. Sed ne aliqua calumpnia eis post dies meos super hoc possit obici. & que geruntur in tempore ne labantur cum tempore bonorum virorum ac litterarum solent perhennari testimonio. & ne filiorum aut aliorum cognatorum iuventus nostrum liceat irritare donum. portionem cum mansione in *Barhem* redemi ac sigilli nostri testimonio confirmaui. Quicumque igitur donum prenominatum & confirmatum irritum facere conatus fuerit iram dei omnipotentis & beate *Marie* Virginis & omnium sanctorum in se prouocasse se non dubitet & partem habeat cum illis qui dixerunt domino deo scientiam viarum tuarum nolumus. Amen.

141.

1211.

Ärke-Bisk. ANDREAS SUNESSONS stadfästelse på ofvannämde NILS PETERSSONS gäfv och förordade utbyte, med intyg att skötning skett på Jungfru Marie Altare i Wä, då höfdingen INGEMAR trolöfvade sin dotter med P. EBBESSON.

K. e. 1: 288.

A. Dei gracia Lundensis Archiepiscopus Suethie primas. Omnibus ad quos presentes littere peruenerint. Salutem in vero salutari. Uniuersitati vestre notum facimus quod anno incarnationis dominice M. CC. XI. *Nicolaus* filius *Petri* ob salutem anime sue sanus & incolumis in die qua dominus *J.* prefectus filiam suam domino. *P.* filio *Ebbonis* desponsauit in *We* in presentia nostri assistente Archidiacono *A.* & Decano *T.* & domino. *J.* prefecto multisque aliis nobilibus tam clericis quam laicis fratribus in *We* dimidiam partem portionis sue confirmauit scotando super altare sancte *Marie* quam portionem statim facta conditione cum quadam mansione in *Barem* redemit. huius rei testes sumus. Quicumque ergo prenominatum donum tam manifestum ac taliter confirmatum irritum facere conatus fuerit, iram dei omnipotentis & beate *Marie* virginis, omniumque sanctorum se prouocasse super se non dubitet. Insuper & nostre subiaceat excommunicationi. quousque digne & deo & eisdem fratribus super hoc satisfecerit.